



DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

EMENDATIONE
LEGUM PER TRANS-
POSITIONEM VER-
BORUM,

Quam

SACROSANCTA ET IMMORTALI
TRIADE PRÆSIDE,

AUCTORITATE AC DECRETO

Magnifici, Celeberrimi ac Amplissimi

JCTORUM ORDINIS

in inclyta, quæ Teutoburgi Clivorum
florete, Academia Regia,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus, Privilegiis
ac Immunitatibus consequendis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

JOHANNES ALEXANDER GUINANDUS

H. T. F. PAGENSTECHER,
HAMMONA - MARCANUS.

Ad diem Januarii, hora locoque consuetis.

DUISBURGI ad RHENUM,


Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.

Anno clolcccxliv.



DM. 2 A M U E L L
L I B R O B A R O N I
D O C T O R I
S A C R E R E G I E M A I E S T A
T I S P O R T U G A L I S
S T A T U S A D B E L L I
A D M I N I S T R O
O R D I N A M E N T U M T A M P O T E S T A T I O N I S
S E N T E N T I A M C I V I L I M A G I S T R I
R E G I O N I S J U S T I T I E C O L L E G I I
C I O R U M P R A S I D I
D O M I N O M E O G R A T I S S I M O

Dilectissimo patri Johanni
de Regioe Libris
Magistro
Magistro Johanni
Magistro Johanni
Magistro Johanni
Magistro Johanni



*ILLUSTRISSIMO GENEROSIS-
SIMOQUE DOMINO,*

**DN. SAMUELI
LIBERO BARONI
DE COCCEJI,**

**SACRÆ REGIÆ MAJESTA-
TIS BORUSSICÆ INTIMO
STATUS AC BELLII
ADMINISTRO**

**OMNIUMQUE TAM ECCLESIASTICO-
RUM QUAM CIVILIIUM AC CRIMI-
NALIUM JUSTITIÆ COLLE-
GIORUM PRÆSIDI,**

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,


*Dissertationem hanc Inauguralem,
me meaque studia humillime
commendans,*

*Devotissima mente manuque
dedico atque confecro*

J. A. G. PAGENSTECHER.

P R Æ F A M E N .

Rostquam per integrum Justinianicum quinquennium, & quod amplius est, in Regia hac Academia, in studium Juris aliasque eo pertinentes scientias operam dedi, deinde quoque Almae, quæ est Lugduni Batavorum, Academiae vireta perlustrare, ibidemque Collegiis Juris Publici Celeberrimi VITRIARII, magni Patris, magni parilique amore ac honore prosequendi Filii, interesse mihi licuit, qua de fortuna est quod immense mihi gratulor; tandem ad Musas Duisburgenses reversum Pilei Doctoralis heic accipiendi voluptas cepit, & sic ad Disputationem Inauguralem pro more exhibendam me statim accinxi. Equidem Amplissima Excellentissima & Celeberrima FACULTAS JURIDICA illud superfluum duxit, meque, uti absque præviis ullis Examinibus consuetis, sic & absque ulteriore ullo progressuum meorum publice dando specimine, in numerum Utriusque Juris Doctorum cooptandum censuit, pro quo mihi habito honore, ulteriorique adhibendæ diligentiaæ addito calcare, gratias hic publice ago quas possum maximas; Sed cum ipsemet tamen in alteram magis inclinarem sententiam, nec hoc ingratum fuit. Igitur immensa cogitationibus meis percursitans Juris volumina, in varias quidem incidi, easque elegantissimas materias, quarum nonnullas quoque reapse, vel elaboratas, vel affectas habeo, sed hanc denique, quam Tibi exhibeo Ben. Lect. De EMENDATIONE LEGUM PER TRANSPOSITIONEM VERBORUM, elegi. Deus clementer annuat votis!



DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De

EMENDATIONE
LEGUM PER TRANS-
POSITIONEM VER-
BORUM.

§. I.

Inter omnes emendandi leges rationes, fa-
cillima quidem est ea, quæ fit per trans-
positionem Commatum, aliorumve distin-
ctionis signorum; quæ & in Pandectis eo
facilius procedit, quod in Codice Tusco
signa talia, vel numquam, vel rarius alle-
gantur, ut testatur *αυτοπρις* BRECKMANNUS *Histor. Pand.*
libr. 2. C. 4.; Ita, (ut duo tantum vel tria exempla ad-
feram) in *L. 23. C. de Pignor. & hypot.* post verba: *hoc so-*
lum pactum, si comma deleas cum Cl. NOODTIO, lux legi
affertur. Sic idem NOODT in *§. 4. 1. de fidej.* dispungit te-
ctiorem seu comma post vocem: *Tempore*, ac reponit
post vocab.: *sunt*. Sed vide tamen quæ Celebr. WAECHT-
LERUS

LERUS ei opposuit, in notis ad *Noodt Probab. L. 2. C. 1. & 3. inter Opuscula VVaechleri a Cl. Trotzio edita p. 223. & 275.* Ego hic, quia ad scopum proprie non facit, sententiam meam non dicam. Aliud exemplum dat p. m. Avus meus D. A. A. PAGENSTECHER in *Adm. ad Pand. part. 4. §. 8.* ubi in *Celebri L. 41. π. de pign. act.* comma, quod nunc invenitur post verba: *Sine mea voluntate*, ibidem tollit & ante ea verba reponit; ut heres scilicet *sine voluntate* existens, sit heres fiduciarius, qui coactus adivit, & qui sic, uti sine omni damno hereditatem adit, §. 7. *I. de fideicom. her.* sic & sine confirmatione pignoris sibi maxime damnosa. Aliorum explicationes si quis cupiat scire, legat quæ habet ARUMÆUS *Disp. 14. ad π. th. 7.* LUD. CHARONDAS Πιστων. seu *verisimil. Lib. 1. C. 20. per 101. Thes. Jur. Rom. vol. 1. p. 731. & 732.* THEOD. FELTMAN *de Somno C. 11. §. 16.* IDSINGA *varior. f. C. Cap. 17.* LUDOVICI *Doctr. Pand. iit. que res pign. §. 2.* NOODT *Emendat. dol. mal. C. 12. Cl. WIELING Jurisprud. refut. parte posterior. p. 182. seqq. p. 240. seqq.* WISSENBACH *ad Pand. Disp. 27. th. 21.*

§. 11.

Accidit autem sæpius, ut perturbato legum sensui hoc remedium nihil prodesse possit, atque ita, nisi aliis adhibitis, textus inexplicabilis manere debeat; Consistunt remedium eorum quædam *in Permutatione*, vel *in Geminatione literarum*, vel *in aspiratione addita aut sublata*, vel *in permutatione integræ vocis cum alia*, & quæ sunt similia, de quibus ex professo GUIL. BESTIUS *Tract. de ratione Emend. leges.* Inter quæ remedia quoque *C. 1. §. 10.* affert *vocum Transpositionem.* Et hæc est illa ratio, de qua in præsens agere & exempla quædam proponere, aut excutere constitui.

§. III.

§. III.

Transpositio, *metabasis*, sive, ut CICERO, Trajectio verborum, veluti præsupponit malam verborum dispositionem, quæ ipsa scil. vel nimium festinantibus, vel non advertentibus, aut imperitis Librariis, Exceptoribusve, facile subnasci potuit, quomodo speciatim Librariorum Codicis Florentini, diverso respectu, tum nimiam accuratiorum, tum imperitiam aut negligentiam, notavit laudatus BRECKMANNUS *Histor. Pand. Libr. 2. C. 5.*, sic tamen transpositionem eam, ne nimium extendatur hoc emendationis genus, non temere ultra duas tresve voces fieri debere, non inepte monet BESTIUS *d. 11.*, tres, transpositione tali verborum explicandas adducens leges; Quarum

§. IV.

Prima est in *L. 9. §. 3. Pand. de fundo dotali.* In qua tota lege AFRICANUS JCTus de Marito, illud quod debebat in dotem accipiente, agit: verba autem §. 3. sic habent:

His consequens esse ait, ut si Cornelianum aut Semprianum fundum debenti, id quod debet dori promissum sit, utrum eorum dotalem esse malit.

Sane fateor, primo intuitu sensum legis latere, densam vero obscuritatem (ur vult Bestius) adesse hisce verbis, animadvertere non potui. Nam, abstrahendo jam a transpositione verborum in hac lege facienda, quis, quæso, parum adhibita attentione non vider, vel *ellipsis* adesse, vel *repetitionem verborum quorundam antecedentium* requiri, hanc enim suadent verba: *his consequens esse ait.* Adeoque salvo verborum ordine, repero, post verba: *utrum eorum dotalem esse malit.* verba paragraphi primi, hæc: *in arbitrio esse mariti*, vel dixi *ellipsis* adesse; idcirco priori propositioni non accedentes cum Glossa eam supplere possent, adjectis post verba: *dotalem esse malit.* vocibus: *dotis esse.*

§. V.

§. V.

Audiamus nihilominus Transpositionem factam a BE-
STIO *tr. supr. laud.* Ille autem loco: *utrum eorum Dotalem*
esse malit. transposito vocabulo *malit* & commate a voce:
Esse. abscisso, seu separato, ita legit:

Utrum eorum Dotalem malit, esse.

Hanc esse transpositionem concedo, sed per hanc necessi-
tatem repetitionis verborum, vel ellipsin tolli, plane ne-
go! Nam etsi vocabulum *esse*, ante vel post vocabulum
malit, vel abscisso vel non abscisso commate, ponatur, in
unum idemque recidit, nihil enim lucis textui, *Dense ob-*
fcuritatis dicto, apponitur, in utraque enim lectione Elli-
psin deprehendo, & voces: *dotis esse*, vel *hunc dotis esse*
apponi debere, quilibet me sine monitore facile perspicit
ac annuit. Si autem transpositione aliquis lubentius uti
veller, ei ego aliam, nisi me omnia fallunt, textum, abs-
que omni additione, clarum reddentem, dabo. Quid
enim, si vocabulum finale, *malit*, ante duas hasce voces:
dotalem esse. collocemus, addito commate seu semicolo?
Jam textus me iudice suo sensu elucescet, & sequenti mo-
do legi possit:

His consequens esse, ait, ut si Cornelianum aut Sem-
pronianum fundum debenti id quod debet doti promif-
sum sit, utrum eorum malit, dotalem esse.

Scilicet eadem hic decisio, quæ in legis hujus *paragrapho*
primo, qui sic habet:

Quod si ei promittat, qui fundum aut decem debuit, in
arbitrio esse mariti, quod in dote sit.

Equidem obstare huic videntur verba JCTI JULIANI in *L.*
46. §. 1. de jur. dot.

Si debitori suo mulier nuptura ita dotem promississet:

B

quod

quod mihi debes, aut fundus Sempronianus, doti tibi erit; *utrum mulier vellet, id in dote erit.*

Sed ratio differentiae patet, scil. in hac *L. 46. §. 1.* simpliciter debitum cum fundo aliquo *non debito* alternative in dotem offertur, in §. autem *1. Legis 9. de fundo* aut decem *utroque alternative debito*, agitur, adeoque, secundum communes regulas juris, quae volunt, electionem in debito alternativo esse penes debitorem, & hic quoque electio penes maritum manet debitentem, & jam quod alternative debet in dotem accipientem. vid. *L. 10. §. ult. in f. π. de jur. dot.* & quae ad hanc legem habet JAC. LABITUS in *Ufu Indicis Pand. C. 4. §. 8.* & SEBAST. ANT. HOMBELDT *Med. Theor. pract. in princip. Text. Card. p. 291. seqq.* Confer quoque de materia Dotis, Viri Celeberrimi, DN. CASP. THEOD. SUMMERMANNI, Πρωτα *L. 1. Tit. 6. §. 103. pag. princip. 265. in med.*

§. VI.

Reliqua duo exempla in *L. 156. §. 2. de R. 7.* & in *L. 26. pr. de fideicomm. libert.* sciens prætereo. Sed aliud dedit Venerandus Parens meus, DN. HENR. THEOD. PAGENSTECHER, *Commentarior. in Sexti Pompon. Libr. 2. C. 7. lit. E. in notis.* ubi maximam JAVOLENO affundit lucem in *L. 39. §. 1. π. de aur. arg. leg.* sic scribenti:

Cum ita legatum esset; argentum quod domo mea erit, cum moriar, Osilius, nec quod depositum a se, nec quod commodatum reliquisset, argentum legatum videri, respondit; idem Castellius de commodato. Labco, quod depositum esset, ita deberi, si presentis custodiae causa, non perpetuae, veluti thesauro, depositum esset: quia illa verba: quod domo mea erit, sic accipi debere, esse solebat, & hoc probat.

Notandum primo, inquit inelytus Commentator, pro a se,

se, legendum esse, *apud se*. Ratio est, quod heic quaeritur de rebus, quas *domo sua* Testator habet; tales vero non sunt, res a Testatore apud alios depositæ, eive commodatæ, sed quas potius alii apud Testatorem deposuerunt eive commodarunt. Ratio altera, quia in fine legis dicitur, illa verba: *quod domo mea eris*, sic accipi debere: *esse solebant*, unde sequeretur, res a Testatore depositas, vel commodatas, omnino legatario cedere debere. *Solebant* enim esse domo Testatoris; Sed cum res, quas alii apud Testatorem deposuerunt eive commodaverunt, non *solebant esse* domo Testatoris, sequitur, juxta illius legis essatum, non cedere legatario. Notandum secundo, faciendam esse eodem in Textu trajectionem verborum, talem: *Si perpetua, veluti Thesuro* (potius *Thesaurus*, sive *Thesaurus*) *non presentis custodia causa, depositum esset*. Sic enim idem ille LABEO generaliter scribit, ea quæ perpetui usus causa sunt, esse ejus loci, quæ vero ad præsens, non esse. L. 17. §. 7. π . de act. Emt.

§. VII.

Similiter ut CELSUS, his verbis, *qua ibi mobilia mea erunt do lego*. numos ibi repositos ut mutuo darentur, non esse legatos, respondit. L. Si Chorus 79. §. 1. π . de legat. 3. non, quasi sub legato mobiliū non contineatur pecunia fœnori destinata, sed quod non contineatur sub legato, *qua ibi erunt* mobiliū; ut & POMPONIUS docet in L. 44. π . eodem. Confer Illustrissimi Dn. DE COCCEJI *Jus Civ. Controv. Lib. 1. tit. 8. Q. 11*. Et hæc quidem de JAVOLENO, quem, uti Dialectices peritissimum, sic tanquam accurate quoque in reliquis, quæ supersunt, ejus fragmentis, distinguentem, & proprietatis verborum studiosissimum, merito laudat Celeberr. JENICHEN *Dissert. de Prisco Javoleno* §. 6.

§. VIII.

Succedat Javoleno JCTUS PAULUS in L. 21. 7. de Re jud.
hæc habens:

*Sicut autem cum Marito agitur, ita & cum Socero (ma-
riti patre) ut non ultra facultates damnetur. An si
cum Socero (i. e. uxoris patre) ex promissione dotis
agatur, in id, quod facere potest, damnandus sit? Quod
& id æquum esse videtur; sed alio jure utimur. Ut &
Neratius scribit.*

Proponitur, uti apparet, in hac lege quæstio, in verbis: *An
si, & responsio in his verbis: Quod & id &c.* Priusquam
ad transpositionem faciendam me accingo; videtur mihi,
verba responsoria ad interrogationem minime quadrare;
qualis enim hic sensus & responsio? *Quod & id æquum
esse videtur!* sed mutata una syllaba aderit, adeoque pro
vocabulo, *id*, repono, *ita*. Nam uti literæ *D. & T.* sæpe
inter se permutantur, Vid. QUINTIL. 1. Orat. 4. Et BEST,
de ratione leges emendandi C. 1. §. 3. n. 4. Sic litera *A.* per
sequens voc. *æquum*, absorpta videri potest. Adeo ut *ita*
jam legatur: *An si cum Socero ex promissione dotis agatur, in
id, quod facere potest, damnandus sit? Quod & ita æquum
esse videtur.*

§. IX.

Transpositio vero verborum facienda consistit in eo,
quod verba textus finalia: *ut & Neratius scribit.* ponenda
sunt statim post verba: *quod & ita æquum esse videtur.*
Stantibus ita hisce, videmus necessitatem transpositionis,
& omnia concordare, quæ alias discordia & confusione
fane magna laborarent: itaque sequenti verborum ordine,
textus clarus & sensu genuino apparebit:

*An si cum Socero ex promissione dotis agatur, in id,
quod*

quod facere potest, damnandus sit? quod & ita æquum esse videtur; ut & Neratius scribit. Sed alio jure utimur.

Ita quoque fiet ut contraria amplius de NERATIO non referat PAULUS in L. 17. sol. matrim. ubi ait:

Ex diverso, si Socer ex promissione a Marito conveniatur, solet quæri: an idem ei honos sit habendus? Neratius libris Membranarum & Proculus scribunt, hoc justum esse.

Sed cur ipse PAULUS d. L. 21. dicit: *Sed alio jure utimur.* Respondeo: quatenus distinguendum est, utrum manente adfinitate (stante matrimonio) an diremto matrimonio (& sic sublata affinitate: nam affinitas uti per nuptias contrahitur, sic iis, per mortem v. g., solutis iterum tollitur) dos petatur! ita ut priori casu beneficium competentia locum habeat, ut ipse PAULUS fateatur L. 84. π. de jur. Dot. in posteriori non habeat locum, & non tantum, tum, quando Socer induxit generum, ut vult idem PAULUS d. L. 84. Sed & in genere, quomodo PAULUM explicat POMPONIUS, in ea, quæ legi 21. subjicitur, L. 22. de Re jud. his verbis: *Sed hoc ita accipiendum est, si a socero dos ex promissione petatur soluto Matrimonio; verum si manente Matrimonio dos ab eo petatur, succurrendum utique est, ut ne majoris summa condemnatur, quam quantum facere potest.*

§. X.

Cæterum transpositionis, quam exhibui, inventor ipse non sum, laudabo auctorem meum, PETRUM BURGIIUM, Libro Electorum C. 19., qui Tractatus continetur in Thesauro Juris Romani Tom. 1., ita loquentem:

Ita enim, ex Scriptoris forte cujusdam vitio, trajectory illius legis verba restituenda censeo:

Quod & id æquum esse videtur, ut & Neratius scribit, sed alio jure utimur.

B 3

Unde

Unde recte subjicitur in L. seq. Sed. hoc ita, &c. Certe ita fiet, ut sibi ipsi conveniens Paulus, tam in d. L. ex diverso 17. quam in d. Lege Sicut 21. referat, Nera-
tium scribere, aequum seu justum esse, Socerum in id tan-
tum, quod facere potest, a Genero conveniri posse. Sed
& ejusmodi verba: hoc jure utimur, vel alio jure uti-
mur, ad presens tempus relationem habent, & ad 7 Cui,
qui ea usurpat, tempus referenda sunt. Inepie enim Pau-
lus traderet, Nera-rium, a cujus etate longissimo tem-
pore distans fuit, scribere. alio jure suo seculo Romanos
uti. Itaque nec maritus moribus, nec socer ex inter-
pretatione prudentium, ab uxore vel nuru, ultra quam
facere potest, de dote convenitur; Nec socer ex promif-
sione dotis a genero, constante matrimonio.

Hactenus BURGIIUS; Confer hac de Lege quoque PETRI
PERRENONII *Animadvers. & variar. Lectionum lib. 1. C. 7.*
Theaur. 7. R. tom. 1. pag. 601.

§. XI.

Vir Clarissimus GEORG. D'ARNAUD *Variar. Conjectur.*
Libr. 2. C. 5. exhibet quoque MODESTINUM JCTUM in L.
4. π. de Capt. & Postlim. revers. transpositione verborum
adjutum. Verba legis appono:

*An qui hostibus deditus, reversus, nec a nobis rece-
ptus, Civis Romanus sit? inter Brutum & Scævolum
varie tractatum est; & consequens est, ut Civitatem non
adipiscatur.*

Hancce legem transpositionem flagitare, ex eo apparet,
quod si verba maneant prout nunc jacent, ea quidem
nulli obnoxia sint dubio; sint autem, si vocabula a nobis
ponantur post verba statim initialia: *An qui hostibus.* Item
verba: *nec receptus.* statim post verbum: *deditus.* Hoc modo:

*An qui hostibus a nobis deditus, nec receptus, reversus,
Civis Romanus sit?*

Sic

Sic sane carere possumus emendatione FRANC. BALDUINI *Jurisprud. Romanae & Atticae tom. 1. pag. 460.* & cum sequentis Illustr. THOMASII *Dissertat. de Sponsione Romanorum Numantina* §. 75. pro: *nec a nobis receptus, legentium: nec ab iis receptus.* Sed audi hæc illustrantem & confirmantem POMPONIUM in *L. 17. π. de legation.*

Eum (inquit) qui legatum pulsasset; Q. Mutius, dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere, quem hostes si non recepissent, quaesitum est, an Civis Romanus maneret? Quibusdam existimantibus manere; alii Contra! Quia quem semel Populus jussisset dedi, expulsi videtur, sicut faceret cum aqua & igne interdiceret, in qua sententia videtur P. Mutius fuisse; id autem maxime quaesitum in Mancino, quem Numantini sibi deditum non receperunt, de quo tamen lex postea lata, ut esset Civis Romanus, & Praturam gessisse dicitur.

§. XII.

P. Mutius, non amplius Civem esse, aut jure Postliminii gaudere, volebat. Ratio additur in textu: *quia quem &c.* Conf. quæ RUTILIUS apud Ciceronem *de Orat. Libr. 1. C. 40.* Consentit MODESTINUS *h. n. L. 4.* quando ait:

Et consequens est, ut Civitatem non adipiscatur.
Propugnant hanc sententiam BALDUINUS *loc. supr. citat.* ZIEGLER ad GROT. *de Jure B. & P. lib. 2. C. 21. §. 4.* aliique. Neque his obstant, quæ ipse MODESTINUS paulo antedixerat *d. L. 4. in pr. Eos, qui ab hostibus capiuntur, vel hostibus deduntur, jure postliminii reverti, antiquitus placuisse.* Consequens est enim, de iis, qui hostibus deduntur & ab iis recipiuntur, intelligendum esse, quos, cum nisi aut voluntate aut culpa hostium revertantur, jure post-

postliminii gaudere, æquum est; quo ipso cessat, alternati-
 nativam *vel* in negativam *neq* immutantis, BALDUINI emen-
 datio. BRUTUS contra, aliique complures cum eo, illum
 Civem manere asserunt, quia ipsis non videtur deditus
 fuisse, eo, quod ad deditiorem perficiendam duplex re-
 quiratur actus: tum

Populi Romani deditis; tum
Hostium qui recipiant.

§. XIII.

Certe ita ratiocinatos, qui cum BRUTO faciebant, pa-
 tet ex CICERONE in *Topicis C. 8.* & in *Orat. pro Cæcina C.*
34. Cui consentiunt GROTIUS *d. L. PUFENDORFF. de J. N.*
& G. lib. 8. C. 11. §. 11. THOMAS. *cit. Diss. §. 50. seq.* VI-
 TRIARIUS, Vir Celeberrimus, *Inst. J. N. & G. lib. 2. C. 21. q. 8.*
 Notandum autem, quod dubitatio hæc locum habeat, non
 tantum in Cive dedito ob Legatum pulsatum, sed ex qua-
 libet causa; quod ita JCRUS voluerit *d. L. 17.* apparet e
 Mancini addito exemplo, qui non pulsaverat legatum Nu-
 mantinorum, sed iniquum, ut volunt, ignominiosumque
 Romanis foedus cum iis percusserat, & propterea deditus,
 neque tamen receptus erat. Unde cessat quoque nota
 THOMASII *d. Diss. §. 54. seq.* quasi Pomponius *d. L. ult.* er-
 rorem historicum commiserit, Sponsonem Caudinam con-
 fundens cum Numantina. Confer JOSEPHI FERNANDEZ DE
 RETES *ad Tit. Dig. de Interdict. & Relegat. lib. 1. C. 4. The-*
saur. J. Rom. Vol. 5. pag. 1205. & 1206.

§. XIV.

Varias nobis adhuc in Legibus J. C. faciendas trans-
 positiones tradidere, idem d' ARNAUD *d. 11. Variar. Con-*
jectur. Libr. 2. C. 6. per 102. BERTRANDUS *de Jurisper. L. 2.*
C. 7. §. 4. CUJACIUS *1. Obs. 38. 2. Obs. 33. 3. Obs. 5. 17. Obs.*
 14.

14. RAD. FORNER. 2. *Rer. Quotid.* 30. GOTHOFREDUS in L. 4. in f. π. de instr. vel instr. legat. & in L. ult. π. de solut. MARCILIIUS in §. 2. f. de interd. NOODT. 1. *Obs.* 8. J. F. W. PAGENSTECHER, Vir Cel., Patruus meus, *Quæst. Select.* part. 3. pag. 111. RUPERTUS *Animadvers.* ad *Enchirid. Pomp.* L. 2. §. 32. π. de O. f. VAN DE WATER, Vir Cl., 1. *Obs. Jur. Rom.* 7. WIELING, Vir Cl., *Jurispr. res. part. poster.* p. 221. WISSENBACH *Emblem. Tribon.* L. 16. pr. π. de Tutel. Quas & quoum omnium necessitatem ego jam non perscrutabor. Sed elegantissima tamen est, si meum calculum adjicere ausim, immortalis nominis Jcti, Illustriss. D. HENR. DE COCCEJI, ad L. 15. π. de A. vel O. H. observatio, ubi verba: *Is qui putat se necessarium, cum sit voluntarius, non poterit repudiare: suadente scil. vel ipsa subjecta ratione: nam plus est in opinione, quam in veritate; ita transponenda docet: Is qui putat se voluntarium, cum sit necessarius &c.* v. Summi hujus Viri *Exercitat. Curios.* Vol. 1. *Disp.* 11.

§. XV.

Videamus an & per trajectionem verborum in Jure Feudali textus explicandi veniant. JOH. JAC. WINZIGER in *annotat. ad Exam. Feud. Strykianum ad C. 2. q. 9.* occasionem ea de re agendi commodissimam præbet.

§. XVI.

Notum est vocem feudi (ad instar Emphyteuseos & Pignoris) diversimode capi (1) pro re ipsa in feudum concessa, (2) pro contractu feudali, per quem Vasallo jus in feudum acquiritur, (3) pro ipso jure in re feudali per contractum & subsequenter investituram constituto, 2. *feud.* 25. §. 1.

§. XVII.

Quoad significationem secundam, solent allegare textum *ex libr. 2. feud. tit. 20.* Verba capituli hujus hic subjiciam:

C

Ex

Ex eo quod scriptum est, si inter Dominum & Vasallum de feudo nascatur questio, quod per pares ejusdem curia dirimenda sit. Quasitum est, si quis dixerit, se a quodam Episcopo fortassis jam defuncto, de annua praestatione, aut qualibet alia re, per feudum investituram accepisse, &c.

§. XVIII.

Sed est non nemo, monente WINZIGERO, qui verba finalia, per feudum investituram accepisse, transponenda putat, ita: per investituram feudum accepisse; quam transpositionem tamen nequaquam necessariam iudico; Ex ratione, quod eadem loquendi formula: per feudum investiri, occurrat in eodem lib. 2. feud. tit. 9. ibi: Si vero vel totum vel partem volebat per feudum aliquem investire. Et porro: Si autem dissentiente Domino vendebat, sive per feudum investiebat; & porro: tit. 10. in med. fere principii: Qui vero a Principe, vel aliqua potestate, de plebe aliqua vel plebis parte, per feudum est investitus. Et lib. 2. tit. 3. Qui enim qualibet ratione de suis rebus aliquid impeditur alienare, is nec per feudum potest investituram facere. Et qui loci sunt plures. Confer THOMASIIUM in select. feud. Tom. 2. Differt. de Feudis oblati C. 1. §. 32.

§. XIX.

Quid? quod extra Libros juris, hæc per transpositionem emendandi ratio, & classicis sæpe auctoribus maximam affundit lucem. Non dicam nunc sententiam meam de loco TACITI de M. G. C. 17. ubi in verbis: Gerunt & ferarum pelles, proximi ripa negligenter, ultiores exquisitius. trajecta verba: negligenter, exquisitius. & hoc priori, illud posteriori loco, reponendum putavit JAC. LECTIUS apud GOLDASTUM Philol. Epist. Cent. Ep. 90. p. 399. Neque de illo JUSTINI libr. 23. C. 4. Adolescenti, prima bella incun-

ti, aquila in clypeo, noctua in hasta confedit; qui locus hoc modo: noctua in clypeo, aquila in hasta, trajiciendus videbatur RUPERTO, *Anim. in Enchirid. Pomp. lib. 2. C. 2. p. m. 185.* neque de illo OROSII, *Histor. lib. 7. C. 5. de Caligula: Hic siquidem magno & incredibili apparatu profectus querere hostem viribus otiosis Germaniam Galliamque percurrans in ora Oceani circa prospectum Britannia restitit.* Quæ verba JOHANNES SARISBERIENSIS in *Policratico lib. 8. C. 18.* quibusdam trajectis vocibus ita legi forte debere autumat: *Magno & incredibili apparatu profectus est hostem querere, otiosisque viribus Germaniam Galliamque percurrans in ora Oceani* &c. apud Cl. CANNEGIETER *Diss. de Brittenburgo p. 85.* Sed perplacuit mihi semper transpositio in verbis VALERII MAXIMI *lib. 9. C. 11. in Ext. §. 6.* hisce:

Ochus autem, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione, qua septem Magos cum eo oppresserant. &c.

ut scil. legatur:

Ochus autem, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione septem, que Magos cum eo oppresserat. &c.

Utpote cum duo tantum fuerint Magi, non septem, & contra septem Persæ, qui in eos conspiraverant, quique Magos oppresserant; ita ut SEPTEM elliptice dicatur, quomodo fere in notissimo illo Ciceronis: *Discebamus enim pueri DUODECIM, ut carmen necessarium &c.* Qua de re ex professo Vir Celeberrimus, MICHAEL ROSSAL, singulari Dissertatione ad hunc Valerii locum.

§. XX.

Cæterum adfinitatem cum hac materia aliqualem habet *Χιασμος*, ut vocatur, *κατα τον τε στοιχειν τυτον*; Quatenus quidem non ulla sit transpositio, sed verbum tamen

unum eleganter ad aliud refertur. Notum est, talem deprehendere nonnullos in verbis *Proemii Institutionum in princ. Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus, oportet, esse armatam.* Et hac ratione quoque, video, explicari locum in *Epistola Pauli ad Philemonem §. 5. Quod audiam tuam charitatem & fidem, quam habes erga Dominum Jesum & erga omnes Sanctos,* apud WISSENBACH. *ad Inst. Disp. 1. th. 4.* Alia, ex Jure Civili, exempla dedit Venerandus Parens meus, Dn. H. T. PAGENSTECHER, *Comment. in S. Pomp. lib. 3. C. 3. pr. lit. E. in not. & in Jure Pegasiano cap. 29. lit. C. in not. ubi & DD. alii.* Ego hic subsisto, hæc, quæ proposui, specimen Inauguralis loco, sufficere existimans. Interim DEO O. M. pro adjutorio, quo hætenus mihi adfuit, devotissimas gratias ago. Ei sit laus & honor,
 εις τας αιωνας των αιωνων, ΑΜΗΝ.

A D N E X A.

I.

Equatour Responzionibus ad *L. 13. §. 1. π. de Pign. act.* a B. M. Avo meo D. A. A. PAGENSTECHERO *in Sicil. ad Laut. m. 1. n. 33.* propositis; Primam adoptare videtur Cl. SCHLITTE *in Observ. ad Ludovici Us. Pract. Dist. Jurid. Lib. 13. tit. 6. Dist. 8. lit. C.* Sed tres posteriores, *obscuras partim & divinatorias* vocat. Ego autem eas, tanquam claras & legibus conformes, defendam.

II.

II.

Idem SCHLITTE *d. Dist. 8. lit. D.* adhærens Auctoris sui sententiæ, Negotiorum Gestorem ad *Levem* tantum culpam præstandam teneri, hanc notam subjicit:

Cui sententiæ nil quidquam detrakunt, pro- ut quidem contendit PAGENSTECHER, verba Imp. in §. 2. Inst. Quib. mod. R. C. O. ibi: nec sufficit ei (commodatario) tantam diligentiam adhibuisse, quatenus suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodire. At si hæc verba ita pergit PAGENSTECHER d. 1. ejus indolis ac intellectus sunt in §. 2. quare non eandem indolem & eundem intellectum habebunt in d. §. 1. Respondeo: verba d. §. 2. non esse eadem, aliud quippe est: posse alium diligentius rem custodire, etiamsi nullus adsit, qui se ad Custodiam offerat, aliud est alium actu adesse, qui administraturus est commodius alterius negotia, de quo casu loquitur cit. §. 1.

Verum ego, bona cum venia Viri Cl., statuo, utique eadem esse verba, vel saltem eundem verborum sensum *d. §. 2.*, quæ sunt, vel

qui est *d. §. 1.* Quæ enim, quæso, differentia est, si rem absque præjudicio consideramus, sive dicam, ut in *d. §. 1.*

Si modo alius diligentior poterat rem custodire; Sive dicam, ut in d. §. 2.

Si modo alius diligentior eo commodius administraturus (non est, ut verbum illud transformat SCHLITTIUS, sed) esset negotia?

Utrumque conditionale est, *si modo. Si modo.* Quid? an verba: *administraturus esset*, indicant *actum*, vel *actu aliquem adesse*, qui commodius administraret! Sane in meo exemplari vocabulum *actus* non occurrit, & persuasissimus sum, nec in eo Viri Cl. occurrere. Dicam uno verbo, est hoc tantum *figmeutum Doctorum*, ut vere Illustrissimus D. DE COCCEII *Jur. Contr. Pand. Tit. de Negot. Gest. §. 7.* Pergit SCHLITTE *loc. supr. alleg.*

Multo minus eandem labefactat PAGENSTECHERI Philosophia: quod major adhuc in Negotiorum Gestore, respectu præstandæ levissimæ culpæ, ratio sit, quam in Commodatario, quum in illo major culpa sit, quam in hoc: Hic voluntate Domini res ejus teneat, ille absque ea, & ignorare non possit,

possit, culpam esse, immiscere se ultro rei ad se non pertinenti. *Respond. in cit. §. 1. Imperat. adserit, negotiorum gestorum obligationem utilitatis causa receptam esse, ne absentium, qui forte subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregre profecti essent, negotia desererentur. Quid ergo, num quod utilitatis causa receptum, culpæ adnumerabitur? num Civilitas erit nociva? num in locum officii humanitatis culpa subrogabitur?*

Utique, Vir Cl., Philosophia PAGENSTECHERI sententiam Tuam labefactat, imo pessumdat. Est hæc philosophia Legalis. *Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti, inquit Jctus in L. 36. ff. de R. J. atque iterum: Nemo debet affectare id, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alteri periculosam futuram, L. 8. §. 1. ad L. Aquiliam. & si duri hic aliquid Tibi, V. C., subesse videtur, cur ergo Negotiorum Gestorem ad levis culpæ præstationem adstringis, cum utique, secundum Juris Regulas, Negotiorum Gestor alias ad latam tantum Culpam præstandam teneatur? Ergo Philo-*

Philosophia SCHLITTII aut nimium, aut nihil probat. Sed nolo ei refutandæ diutius immorari, quum solidissime jam id egerit B. STRYKIUS *Dissertatione: DE CIVILITATE NOCIVA. c. 5. §. 39. & 40.*

III.

Idem SCHLITTE *d. Tr. Libr. 19. tit. 3. Dist. 1. lit. a.* cum adduxisset usum quæstiones: *an Contractum Permutationis inter, & Contractum Do ut Des, aliqua, aut quenam sit differentia; ex sententia D. AVI MEI Sicil. ad Laut. m. 2. n. 189.* hunc scil. *Quod contractus Permutationis bonæ fidei, Do ut Des vero stricti juris sit; hæc iterum subjungit:*

Vereor tamen, ne in illorum castra trans-eundum sit, qui Contractus innominatos omnes b. f. esse contendunt. Ut nihil dicam, de Usu fori, cui distinctio, inter Contractus b. f. & stricti Jur., penitus incognita.

Ast ego credo, tutius acturum Virum Cl., si transfugam non agat, cum Justinianus, ex contractibus innominatis, & quidem speciatim ex illo Do ut Des, tantum duos bonæ fidei nominet, *Permutationem & Æstimatorium, §. 28. J. de Act.* & quod ad Praxin illam attinet, sine dubio

dubio ipsius legerit quoque Auctoris sui verba
d. Tr. ad Tit. de in lit. jur. dist. 1. ubi ait: *Facile quidem credimus, contrariæ sententiæ non defuturos, quos pro stabilienda sua opinione adducere possint.*

IV.

Denique *d. Us. Pract. libr. 39. Tit. 6. Dist. 1. lit. A.* prælaudatus D. SCHLITTE B. AVI MEI sententiam, quam *in Sicil. m. 2. n. 50.* proponit, scil. *Quod Donatio quoque quasi Contractus sit*; refellere conatur, eo argumento: *Quod omnes Quasi Contractus ficto ac præsumto consensu nitantur*, & sic Donatio non sit Quasi Contractus, cum vero Consensu constet. Verum enimvero, uti *fictus Consensus cum consensu præsumto* perperam confunditur, & uterque merito species *taciti consensus* dicitur; ita contra Cel. Virum, imo contra quoscunque, defendam, Donationem esse Quasi Contractum; negans, omnem quasi Contractum ficto aut præsumto consensu constare, & firmiter credens, nullibi in toto Jure id, ceu requisitum necessarium quasi Contractus, occurrere!

TANTUM EST.

D

1a

In Occasione d' una publica Disputa, che
virtuosamente sostiene il
NOBILISSIMO SIGNOR,
GIOVANI ALESSANDRO GUINANDO
PAGENSTECHERO,
Candidato d' ambe le Leggi, per poscia per-
venire alla Laurea Dottorale.

S O N E T T O.

Sostenendo nel Mondo le leggi del Cielo,
N' esulta 'l Cielo, e se ne rallegra il Mondo,
Perche i comandi del Cielo dan' pace al Mondo,
E S' uniscon' in pace il Mondo, e 'l Cielo.
A VOI! ch' a prò del Mondo elesse il Cielo,
Dian' la Gloria, e la pace, e 'l Cielo, e 'l Mondo,
Sicchè Gradito al Cielo, e caro al Mondo,
V' honori 'l Mondo, e vi conservi il Cielo
Opre del Cielo, in VOI conosce il Mondo,
Perche provate nel Mondo leggi del Cielo
E verso il Cielo incaminate il Mondo.
Vi Sian' dunque propitj 'l Mondo, e 'l Cielo
V' arrida il Cielo, e benedica il Mondo,
Se 'l giusto del Cielo sostenere nel Mondo.

A R I E T T A.

Affanni, sospiri,
Tormenti, Martiri,
Partite, fuggite,
Volate, svanite, da mè

Un di piu felice
Un Cuor piu Contento
Un piacer piu gradito
Di questo, non è.

*In segno d' inalterabile servitù, e vera
Amicizia*


GIOVANI GIORGIO BERGIUS.

Duisburg, Diss., 1729/81(1)

ULB Halle
004 527 070

3





y. 10. no. 5

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

MENDATIONE
LEGUM PER TRANS-
POSITIONEM VER-
BORUM,

1744

Quam

SACROSANCTA ET IMMORTALI
TRIADE PRÆSIDE,

AUCTORITATE AC DECRETO
Magnifici, Celeberrimi ac Amplissimi

CTORUM ORDINIS

in inclyta, quæ Teutoburgi Clivorum
flore, Academia Regia,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus, Privilegiis
ac Immunitatibus consequendis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit


HANNES ALEXANDER GUINANDUS

H. T. F. PAGENSTECHER,
HAMMONA - MARCANUS.

Ad diem Januarii, hora locoque consuetis.

DUISBURGI ad RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.
Anno clolcccxliv.



grat
me
MA
, m
ia C
E,
is,
a c
AU
leg
r
aar

